



Vox Mēdi ā mīlite nōn audītur. Mīles sē nōn movet, nec Mēdus eum spīrāre audit. Ergō Mēdus mīlitem mortuum esse putat. Sed ecce mīles oculos aperit et parvā vōce dīcit: “Aquam...!” Mēdus, quī mīlitem vīvere gaudet, ex parvō rīvō aquam arcessit et mīlitī dat.

Mīles laetus ē manū Mēdi bibit et ‘aquam bonam esse’ dicit:

“Aqua bona est. Iam necesse nōn est mē sustinēre, amīce!”

Mēdus: “Doletne caput?”

Mīles: “Nōn male dolet...”

Mēdus: “Venī Rōmam ad medicum!”

Mīles: “Id necesse nōn est — sed necesse est mē Tūsculum ire: illīc enim dux exercitūs in castrīs mē exspectat.”

Mēdus: “Rōmae mē exspectat amīca mea.”

Mīles: “Id mē dēlectat. Mē quoque puella Rōmāna amat et Rōmam vocat... Sed iam dux mē vocat in castra. Bonus mīles ducī suō pāret, ut bonus servus dominō suō. Ergō valē, bone serve, ac bene ambulā!”

Mēdus rīdet et respondet: “Valē, bone mīles!”

Mīles, quī ducem exercitūs timet, Mēdum relinquit et Tūsculum ad exercitum ambulat. Mīles ducī suō pāret.

Mēdus, quī Rōmam ambulat ad amīcam suam, mīlitem stultum esse putat. Mēdus dominō suō nōn pāret.

“Salvē!” dicit is
quī advenit
“Valē!” dicit is
quī discēdit